



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Actus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

PASSUS. CAP. XLV.

**P**assus à passis manibus dici videtur. Alii passum quinis tantum pedibus constare putant, quo spatium gressus duo recensentur, sintque digiti octoginta. Nam spatium quod passis manibus occupamus, in sex & nonaginta digitos exporrigitur, quæ integra est quadrati corporis proceritas.

*Vel spatium quod in spatio pedum.*

ORGYIA. CAP. XLVI.

**O**rgyia Herodoto sex pedum est, Mensura eadem à pedum numero Hexapus dicitur. Orgyia Suidas inter expansas manus capit, quæ quidem mensura cum par sit proceritati humani corporis, nulli dubium & Suidam & Herodotum idem sentire. Libr. Pandect. x. tit. Fin. reg. capit. ult. fodienti puteum passum à vicino limite abesse oportere, interpret Latinus posuit. Lex ea Solonis à Cajo recitata, Græcè scripta est in Codice Pisano, qui Florentiæ asservatur, & *orgyias* hic habet, quæ quidem mensura una plus pede crescit, & alias, uti ostensum, *εξάπους* vocatur. Theodorus ex Aristotele interdum Passum vertit. Sed cum Orgyia, uti dictum, uno plus pede supra passum porrigatur, non satis recte videtur expositum, ut passus à passis manibus dicatur: id autem si admittitur, recte Theodorus. Sedenim omnino variat ipsa passuum mensura, pro regionum ritu & institutis.

*Herod. l. 2. Solonis lex.*

*Vel quod patet in spatio pedum.*

ULNA. CAP. XLVII.

**U**lnam Servius, & plerique alii eadem cum ea quam memoravimus Orgyia videtur interpretari, neque tamen inficiatur, longè minori spatio ab aliis describi. Sunt vero qui urnam Orgyiaè dimidium esse velint, nomenque id, atque ea fere trium pedum mensura in plerisque Italiae locis permansere. Quare quod apud Plinium legitur lib. xvi. cap. xli. de Abiete, cujus crassitudo quatuor hominum ulnas complectentium implebat, hominibus quatuor admotis, arboris ambitum ulnis octo completum intelligendum. Si vero ulnas altero modo maluerit quis intelligere, nihil laboraverim. Sane huiusmodi amplitudo mihi non est miraculo, qui & abietes & larices & arbores alias vastitatis incredibilis inspexerim in Noricis Alpibus enatas.

*In Bucolic. Eccl. 4.*

*Nempe spatium in quantum utraq; extenditur manus.*

DECEMPEDA. CAP. XLVIII.

**D**ecempeda, quæ Græcè *δεκάπους*, suos se prodit nomine. Ea vero & Acana est. Thessalorum quidem inventum, ut apud interpretem Apollonii Argonauticis legimus. Porrigitur nimirum ea in digitos centum sexaginta, qui duo passus essent, non tamen Orgyia. Eo dimensionis nomine sepe utitur Cicero, & decempedatorem, Metatorem appellat. Eo fere spatio à vicino abesse lege xii. tabularum jubetur is, qui ficum aut oleam in agro plantaverit: nam si quid aliud severit, satis est quinque abesse pedes. Quamquam super huiusmodi limitatione libr. Pandect. x. tit. Fin. red. Solonis lex à Cajo recitata, non satis ex fide Latinis reddita. Nam quod interpret reddidit, *Olivam autem aut ficum novem pedes ab extrema regione plantet, alia autem ligna quinque pedes*, in Pandectis quæ tanta veneratione Florentiæ custodiuntur, ita Græcè scriptum reperi, *ελαιαν δὲ ἢ συκῆν ἐνεία πόδας ἀπὸ τῆς ἀλλοτρίου φωνή, ἢ δὲ ἀλλὰ δύο πόδας*. Ex quibus verbis manifestum, olivam quidem vel ficum pedes novem procul ab alieno solo plantandas, ceteras autem arbores duos tantum pedes abesse posse. Sunt & alia eadem lege, quæ aliter habent in Pisano codice, ipso, quam passim in impressis voluminibus præstitum, de quibus alibi differendum: nunc nostrum sequamur institutum.

*Solonis lex.*

ACTUS. CAP. XLIX.

**A**ctus pedibus constat centum & viginti, qui passus essent quatuor & viginti.

JUGERUM. CAP. L.

**J**ugerum, ut Varro finit, constat ex actibus duobus quadratis. Unde Quintilianus ducentos & quadraginta pedes ponit in longitudinem, dimidium in latitudinem, quod uno iugo Boum in die arari potest: de quo, quia pleni sunt omnes Grammaticorum libri, non est ut plura inculcem.

*Varro l. 2. Plin. lib. 18. cap. 3.*

STADIUM. CAP. LI.

**S**tadium dupliciter consideratur, alibi pro spatio cursoribus in agone destinato, alibi certum est mensuræ limitibus agrorum metandis comparatum. Atque hoc plurimum centum viginti quin-

*Theophilus lib. 2. Institutionum.*

